901 R
Oxford Univ.
Bodleian
1946
NOV 16 1946

CONVOCATIO HABITA

IN THEATRO SHELDONIANO

A.D. IX KAL. NOV. A.S. MCMXLVI

QVO DIE

REX AVGVSTISSIMVS

GEORGIVS VI

BIBLIOTHECAE BODLEIANAE

NOVVM AEDIFICIVM

RITE INAVGVRAVIT

ORATIO

THOMAE F. HIGHAM

ACADEMIAE ORATORIS PVBLICI

REX AVGVSTISSIME, Stator Britannici nominis, tuque, Regina excelsissima, totius populi amor ac deliciae:

Tametsi nulla potest oratio aut benignitati vestrae par inveniri aut gaudio quod ex adventu vestro capimus universi—neque enim mediocri honore nos sentimus affectos—vetat tamen pietas eum silere cui traditum est munus oratorium ab ipso Thoma Bodleio aliquando susceptum.

Credite nos inenarrabili quodam studio Oxoniam vos reversos salutare. scimus enim quam grave onus officii vobis sit impositum, quot itinera sitis emensi, quibus denique belli tenebris circumfusam patriam quo virtutis, laboris, patientiae exemplo in quantam lucem quantumque splendorem perduxeritis.

Tibi, Rex et Imperator, ne debellatis quidem hostibus datur missio; nec iam te totius imperii curis districtum advocaremus, nisi materna manu et sororia incohatum opus te posceret confectorem. et certe rege dignum obibis officium. Bodleius enim ille 'totius litterati orbis ambitu munificentiam suam terminavit': quique 'nihil satis actum putavit, nisi suis immensis sumptibus futurorum liberalitatem invitasset', hodie vel illud posset gloriari, se gentes toto orbe divisas ad unum dandi studium excitasse.

Voto finienda est oratio. Domine Deus, qui hanc Britannici imperii molem in tantum fastigium extulisti, conserva hunc statum, custodi Regem et Reginam Matremque Regis, protege Principissam Elizabetham totamque Regiam Domum, Regique functo longissima statione mortali destina successores quam serissimos.